

PROGRAMMA DIEI LATINI  
PROGRAMMA VAN DE LATIJNSE DAG 'DIES LATINUS'Die 14<sup>o</sup> m. Martii a. 2013<sup>o</sup>, in Reipublicae Museo Antiquitatis Lugduni Batavorum, 13.00 - 17.00 horis  
14 maart 2013, Rijksmuseum van Oudheden te Leiden, 13.00-17.00 uur

12.30-13.00	Participes in sedem Musei accipientur	Ontvangst
	<b>ORATIONES ADITIALES:</b>	<b>INLEIDENDE WOORDEN</b>
13.00-13.15	Camilo Schutte (Athenaeum illustre)	Camilo Schutte (Athenaeum Illustre) (Nederlands)
13.15-13.20	Abel Schutte (Athenaeum illustre / Academia Vivarii novi)	Abel Schutte (Athenaeum Illustre / Academia Vivarium Novum) (Nederlands en Latijn)
	<b>SESSIO I</b>	<b>SESSIE I</b>
13.20-13.50	Luigi Miraglia (Academia Vivarii novi) <i>De methodo nova antiquorum iudicio nutrita atque probata</i>	Luigi Miraglia (Academia Vivarium Novum) <i>Een nieuwe methode gevoed en beproefd door de overdenking van de antieken</i> (Latijn)
13.50-14.20	Jiří Čepelák (Universitas Carolina Pragensis / Academia Vivarii novi) <i>Progymnasmata efficacissima sive quomodo firma sermonum antiquorum doctrina assidua exercitatione comparari possit</i>	Jiří Čepelák (Karl-Universiteit Praag / Academia Vivarium Novum) <i>Trefzekere oefeningen ofwel hoe een stevige kennis van de taal van de antieken te verkrijgen is door regelmatige oefening</i> (Latijn)
14.20-14.50	María Luisa Aguilar (Universitas Valentina) <i>'Hanc ego de me coniecturam domi facio' sive quantum usus sermonis Latini ad eiusdem institutionem conferat</i>	María Luisa Aguilar (Universiteit van Valencia) <i>'Dat doe ik al van huis uit' ofwel hoeveel baat men heeft bij het gebruik van de taal bij het leren ervan</i> (Latijn)
14.50-15.10	Disputatio de argumentis propositis moderante Christophoro Pieper (Universitas Lugduni)	Vragen en discussie o.l.v. Christoph Pieper (Universiteit Leiden) (Latijn en Nederlands)
15.10-15.30	<b>Pausa</b>	<b>Pauze</b>
	<b>SESSIO II</b>	<b>SESSIE II</b>
15.30-16.00	Jorge Tárrega (Universitas Valentina) <i>Rebus novis studeamus sive de institutione Latini sermonis in Universitatibus Europaeis renovanda</i>	Jorge Tárrega (Universiteit van Valencia) <i>Laten we nieuwe dingen studeren ofwel de vernieuwing van de Latijn-studies aan de Europese universiteiten</i> (Latijn)
16:00-16:30	Luca Lucchi (Academia Vivarii novi) <i>De rebus gestis Romanorum Latinis verbis illustrandis</i>	Luca Lucchi (Academia Vivarium Novum) <i>Romeinse geschiedenis onderwijzen in het Latijn</i> (Latijn)
16.30-16.45	Disputatio de argumentis propositis Christophoro Pieper moderante	Vragen en discussie o.l.v. Christoph Pieper (Latijn en Nederlands)
16.45-17.00	<b>CONCLUSIO</b> Camilo Schutte	<b>AFSLUITING</b> door Camilo Schutte (Nederlands)
17.00-17.30	Participes omnes ad mensam dapiferam invitantur	Borrel



**Aloisia (María Luisa) Aguilar** studia *Philologiae Classicae* in Universitate Studiorum Valentina (Hispania) annos 2001- 2005 secuta, curriculum in universitate Monasterii (Münster, Germania) anno 2006 absolvit, quo anno lauream impetravit. Annos 2007-2008 pericula publica paravit quae subivit anno 2008 munusque obtinuit, ex quo anno linguam Latinam in lyceo oppidi Podii (El Puig, Valentiae) profitetur. Ab anno 2010 laureae doctorali studet; anno 2011 *Diploma studiorum provectorum* impetrauit, nunc thesi doctorali de Varrone grammatico operam dat.

**Georgius (Jiří) Čepelák**, 29 abhinc annis Pragae in Bohemia natus, nomine ibidem Carolinae Studiorum Universitati, ut historiae rerum gestarum et litteris Latinis studeret, dato, in Academiam Vivarii novi, ubi nunc temporis artem Latine scribendi profitetur, missus est. In patria vero, ut unus ex Antiquis Linguis Fovendis Associationis, qua utriusque linguae magistros Bohemos congregantur, et Circuli Latini Prageni moderator, efficaciores docendi methodos divulgare conatur.

**Lucas (Luca) Lucchi**, genere Italus, natus Brixiae anno 1970, sodalis est Academiae Vivarii novi, ubi res gestas Romanorum Latine profitetur. Magisterium litterarum antiquarum in Universitate Pisana consecutus, postea certamine totius Italiae superato linguam Latinam in Lyceis docere coepit, cuius rei usum iam longa experientia probatum viva etiam ratione docendi optimo successu adauxit.

**Aloisius (Luigi) Miraglia**, natus Neapoli anno 1965, doctoris gradum in litteris antiquis adeptus apud Universitatem Salernitanam, ubi thesin de historia sermonum antiquorum institutionis defendit, conditor est ac praeses Academiae Vivarii novi, in Urbe Roma sitae, ibique in Instituto Pontificio Altioris Latinitatis artem Latine Graeque docendi et litteras Latinas recentiores profitetur. Sodalis praeterea Academiae Latinitati Fovendae, et conventibus omnium gentium ordinandis et libris symbolisque conscribendis novas atque efficaciores methodos ad linguas antiquas docendas universo in terrarum orbe terrarum provehit.

**Christophorus (Christoph) Pieper**, natus in oppido Ibbenbüren in Germania anno 1974, linguis litterisque Latinae, Theodiscae Italicaeque in Universitatibus Studiorum Bonnae ac Florentiae studuit. Thesi de poeta Florentino Christophoro Landino et opere eius titulato 'Xandra' defensa, lauream doctoralem Bonnae accepit, ubi professorem Marcum Laureys iuvabat ad litteras Latinas aetatis mediae et renascentium artium investigandas. Editor auxiliaris 'Neulateinisches Jahrbuch' et 'Medioevo Latino' est. Ab anno 2006 linguam litterasque Latinas in Universitate Studiorum Lugduni docet.

**Abel Schutte**, anno 1994 Amstelodami natus, linguis Latinae Graeque quattuor annos in Lyceo Amstelodamensi non sine sudore more Batavorum hodierno studuit, usque ad annum 2011, quo primum in Schola Nova et denique in Academia Vivarii novi methodo nova easdem didicit. Sodalis Athenaei Illustris inde ab initio est.

**Camillus (Camilo) Schutte**, anno 1970 Amstelodami natus, iuri in Universitatibus Studiorum Complutensi (Matriti) Amstelodamique studuit. Laurea doctoris hoc anno 1999 concessa, patroni causarum munus exercere coepit, primum Hagae et deinde Amstelodami ab anno 2004. Aliquot annos linguae Latinae in Universitate Amstelodamensi studuit. Anno 2012 Athenaeum Illustris renatum condidit.

**Georgius (Jorge) Tárrega** linguam Latinam profitetur partim in Universitate Studiorum Valentina (Hispania) partim in lyceo 'El Grao' Valentiae sito. Postquam comparavit thesiunculam opus Taciti complectentem, thesin suam doctoralem super glottologiam Latinam defendit anno 2005. Edidit in lucem quasdam symbolas de Rethorica et Syntaxi Latinis atque habuit acroaseis in quibus pervulgavit novam, quae dicitur, rationem Linguae Latinae docendae.

---

**Athenaeum Illustris**, renatum quidem illud, societas Amstelodamensis est, anno 2012 constituta, idest 380 annis post antiquum Athenaeum Illustris anno 1632 conditum, quod tamen decursu saeculorum magno doctrinarum detrimento iam dudum evanuit. Sodales huius novi Athenaei Illustris sibi hoc propositum habent, ut disciplinis, quotquot in orbe Occidentali floruerunt, docendis librisque de eisdem in lucem edendis eo modo faveant, ut curriculum studiorum in Universitatibus et Gymnasiis Batavicis iam tritum et consuetum aliis subsidiis compleant. Est igitur circulus Latine loquentium, ad quem magistri ac professores qui Latine doceant aut acroases faciant saepiculae invitantur.

Vide plura in: [www.athenaeumillustris.org](http://www.athenaeumillustris.org)

**Academia Vivarii novi** schola est, quae nullo religionis aut cuiusvis generis professionis vinculo detinetur. Romae sita a discipulis omnium fere orbis terrarum partium frequentatur, qui linguas antiquas non modo in scholis, verum etiam in quotidiano convictu discunt et pro sermone communi continenter usurpant. Quod quidem ita fit, ut illi bonarum litterarum restitutores, qui floruerunt aetate renatarum artium, suis operibus praeceperunt rati litterarum studiosos tantummodo linguam usurpantes eamque callentes textus traditos legere posse, neque improbo detegere labore. Hinc fit itaque ut colloquium pergere queamus cum scriptoribus ac poetis quicumque nostrorum maiorum memoria fuerunt claritate conspicui atque fundamenta cultus Occidentalis iecerunt.

Vide plura in: [www.vivariumnovum.it](http://www.vivariumnovum.it)